C. Tfaffradius.
J. Brunonius.
de sensibus interioribus Disp.

1591.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]

10,-266, 4°

DA BOX LN bis 161

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
130019156312

Universitetsbiblioteket 2. afd.
Nr. Allé 49 - 2200 København N

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]

DISPVTATIO PHYSICA

GENERALES DE SENSIBVS INTERIORIBVS POSITIONES CONTINENS,

Ad quam DEO Opt. Max. benè iuuante

SVB PRAESIDIO

M. CASPARI PFAFFRADII VVeſtphali, 10. Calend. Julij, in inclyta & celeberrima Acad. JVLIA

Reſpondebit

IOHANNES BRVNONIVS Lolandus.

PIENTISSIMO ET OMNIBVS VIRTVTIBVS ORNAtiſſimo viro, D. GEORGIO CHRISTIERNI, Eccleſiæ DEI quæ eſt apud Oſtofftenſes paſtori, & terræ Lolandicæ in Dania præpoſito Seniori, Domino fautori ſemper & vbiq; colendo,

Hæc Diſputatio inſcribitur.

HELMSTADII Typis Iacobi Lucij, 1591.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]

DISPVTATIO PHYSICA
DE SENSIBVS INTERNIS.

Continuatio.

Senſus exteriores præcedenti diſputatione ſunt expoſiti: Interni ſequuntur.

I. Theſis.

SEnſus interiores ſunt ſenſus, qui ſpecies in internis ſenſibus factas, ad ſe ſpirituum ductu perlatas cognoſcunt, & accipiunt.

2. In omnibus animalibus tales quoſdam ſenſus eſſe inde patet, quòd res exterioribus ſenſibus compræhenſas, ſolertiori quodam actu animalia dignoſcant, diſcernendo alias ſpecies oblatas ab aliis, id quod exteriores ſenſus non ita faciunt.

3. Conſpicuum præterea eſt, memoriæ vim in nullo externorum ſenſuum conſtitui poſſe, cum in externis ſenſibus rebus ſenſibilibus amotis ſenſatio ceſſet, compræhenſaq́; ſpecies obiecti fluat, & euaneſcat.

4. Quare neceſſe eſt internam quandam vim ſentiendi conſtituere, diuerſam ab externornm ſenſuum vi, ad quam ea quæ extrinſecus concipiuntur deferantur, quæ ſagacitate ſua cognoſcat, diſcernat, & conſeruet, ſpecies rerum ſenſibus oblatarum.

5. Hi ſenſus interni in cerebro ſedem ſuam omnes obtinent, & inſtar puncti à ſenſibus exterioribus, ſicuti à peripheria, aut ſuperficie, per ſpiritus tanquam per radios, obiecta ſua quæ omnium ſenſuum ſunt compræhenſiones, ſenſaq́;, accipiunt.

6. Senſus interior eſt, aut concipiens, aut etiam conſeruans.

7. Hiſce enim actionibus animalia communiter omnia, ſed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]

ſed ob perfectionem diuerſam non æq; expeditis animalem ſuam ſenſationem perficiunt.

8. Cùm conceptas rerum imagines cuſtodiunt, naturæq; impetum ſequuntur, de veritatis inquiſitione minus anguntur, grataq; perſequuntur, & ingrata fugiunt, niſi videant lædi alia, in ipſa gratorum fruitione.

9. Sic aues dum capiuntur, tandem aliæ id videntes eſcam vitant, mali illius memores, quod euenire aliis cernunt.

10. Illa etiam quæ viſu, audituq; cognoſcuntur, altius interioribus ſenſibus infunduntur, ob ſpirituum, quibus hi ſenſus vtuntur, & ſpecierum, quæ concipiuntur, ſubtiliorem tenuitatem intima interiorum ſenſuum penetrantem, profunctiusq; ſeſe interiorum ſenſuū ſpiritibus inſinuantē.

11. Horum etiam ſenſuum obiecta, lumen, & ſonus longiùs ſeſe profundunt, ſine difficultate, & medij ſubiectiq; malo, & incommodo, atq; ita per interiores ſenſuum ſpiritus diffunduntur, pleniùs cognoſcuntur, & diutiùs hærent.

12. Quò etiam vehementius interiorum ſenſuum ſpiritus appetunt obiectas ſenſuum ſpecies, eò faciliùs concipiunt, & fidelius retinent, niſi ſint vehementiori motu turbati, vt in amantibus aliquando fieri videmus qui in mutuo amplexu, vix certò ſeſe cognoſcunt.

13. Reliqua omnia quò ſenſum interiorem, aut voluptate aliqua maiori afficiunt, aut offendunt dolore, eò etiam fideliùs, expeditiusq; ſenſus interiores munera ſua in ſenſatione obeunt.

14. Obſeruandum hîc etiam, quod quia alij ſubinde ſpiritus intereant, alij verò generentur, radice interim manente eadem ſpiritali, cerebrum etiam ex alluuione nutrimenti continua, aliquando etiam ex morbis immutetur, ſpecies tandem debilitatæ obſcurentur, perceptioq; tardior fiat, & eodem ſemper modo non ſit affecta.

Quæ

15. Quæ verò radicem propiùs attingunt, ea etiam altiùs infixa conſtantiùs remanere videntur, vtpote ea, quæ in iuuentute, & pueritia didicimus primùm, & cognouimus.

16. Huic verò infirmitati ſuccurrit iterata ſæpius repetitio, quæ nouamfacit impreſſionem, debilemq; iam redditam, & obſcuratam, reſtituat, & colluſtrat.

17 Concipiens officio ſuo fungitur, tum diſcernendo, tum pleniùs æſtimando : ille ſenſus dicitur communis; hæc verò phantaſia.

18. Senſus communis eſt, qui ſenſiles ſpecies ab exterioribus oblatas in ſe diſtinguit.

19. Hic in communi quodam termino ponendus eſt, diſtinctus ab aliis ſenſibus, qui omnibus ſenſibilib. præeſt.

20. Hoc ſenſu animal ſe ſentire ſentit pleniſſimè, cúm ſenſuum omnium motus ad hunc vergat, & quaſi perducatur.

21. Eodem tempore variæ rerum formæ, ab aliis ſenſibus comprehenſæ, hoc ſenſu percipiuntur, quod cùm à nullo fieri ſenſu exteriori queat manifeſtum eſt, hunc ſenſum mobiliorem eſſe, maioriq; ſpirituum copia inſtructum, aliterq, omninò informatum, in quo omnes ſenſuum ſpecies connectantur, & ſimul conceptæ diuerſæ diſtinguantur.

22. Senſum hunc communem in anteriori capitis parte collocant, ad quam ſenſuum impreſſiones, ſpeciesq; primùm per neruos deferantur, ibiq; occulta quadam ratione ab ea connectantur, & diſtinguantur.

23. Sic ſimul cùm ſonus percipitur auditu, color verò oculis cernitur, fit ibi connexio, & connexorum diſcriminatio.

24. Aptior quoq; anterior illa cerebri pars putatur ob humiditatem maiorem, cuius vi facilius ſpecies concipiat.

 25. Iu-

25. Iudicium putant hoc etiam eſſe, quod corrugare ſoleamus frontem, ſi acutiùs ſentire, ſenſaq; diſcludere velimus.

26. Atqui ſic ſenſibile quod ſenſibus obijcitur deſinit in ſpeciem, nec fit ſenſatio vlla ſine aliaqua communis huius ſenſus operatione.

27. Phantaſia eſt ſenſus interior rerum immagines diligentiùs examinans, & expendens.

28. Res enim à ſenſu communi per ſenſus exteriores conceptas imaginatio hæc connectit, componit, comparat inter ſeſe varia elicere incipit, etiam ea quæ in ſenſu non fuerunt, & ordine quodam adhibito, vnaquaq; de re iudicat ſeparatim.

29. Diſtincta hæc immaginatio eſt â ſenſu, alio realiter, quia agit ſenſu etiam ceſſante, tum in ſomnis, tum etiam quando imagines memoria comprehenſas, ſeu recordatione repetitas, intuetur, & æſtimat.

30. Locum huic conceſſerunt in media cerebri parte, tum quia formæ ab interiori parte, in qua ſenſus communis eſt, eò delatæ diligentiùs examinentur, tum quia ſic proximè quoq; memoriæ, & recordationi poſita, ſeruatas, repetitasq; immagines, intueatur; tum etiam, quia ſpeciem ratiocinationis, & ſimilitudinem quandam habeat.

31. Ab hac omnes animalium cogitationes, iudicia, ingenia, æſtimatioq; proficiſcuntur, non modo rerum præſentium, ſed abſentium etiam, ac quicquid in homine expolito ratio efficit, illud phantaſia in animalibus æmulatur.

32. Similis aliquando actio huius phantaſiæ in homine cernitur ſomniante, vbi intellectu quieſcente, & ſenſibus conſtrictis, imaginatio mira, variaq; ad ratiocinationis ſpeciem meditatur, & cogitat.

33. Obiecta imaginationi ſpecies dicitur phantaſma, cuius

cuius generis ſunt rerum omnium imagines, quæ paſſim a-nimanti offeruntur, minus etiam cogitanti.

34. Hæc imaginatio cum animæ ſenſitiuæ pars ſit corporeæ corporis naturam, & conſtitutionem ſequentis, ipſa etiam corporis conſtructionem, materiamq;, & eius proprietates, meditando, agendoq; quodammodo exprimit, & prodit.

35. Hinc adſeueramus animantium mores, ad corporis craſin temperari.

36. Hæc etiam phantaſia, vt morum animantium & ingenij cauſſa, fons eſt & origo, ſic etiam corporis procliuitatem amplectitur, proq; illius temperatione Animalis format ingenium.

37. Hanc ob cauſam animalia quædam ingenio, magis, & aſtutia valere cernimus, quorum corpus atra bili potiſſimum conſtat: alia tardiora & inepta ferè, ad aſtutiam, & fraudem quorum corpora humidiora frigidioraque ſunt.

38. Motus enim nobiliores à calore optimè temperato, proficiſci manifeſtum eſt.

39. Secundum hunc ſenſum, & ex eodem omnes animantis affectus profluunt, & diriguntur, adeò, vt nec aues nidificarent prolis amore, nec pullos ſuos, ab iniuria defendere conarentur, nec alimentum illis aſportarent, ſi hoc ſenſu deſtituerentur.

40. Eſt verò imaginatio, & communis, & determinata.

41. Communis eſt ea, quæ ad nutritionem tantum ſpectat ex naturali inclinatione, non per ſenſus primum ſpecie oblata, & phantaſmate formato.

42. Determinata eſt, in qua per ſenſuum apprehenſionem aliorum, aut conſeruationem ſenſibilis imago innaſcitur,

ſcitur, veluti cum equus ſpeciem Domini ſui format.

43. Hæc vbi mota eſt à ſpeciebus obiectorum ſenſibilium, lucentibus in ſpiritibus, eas propagat, mutat, demit, addit, format, ſuaue quærens, & iucundum, malum fugiens de veritate minus ſcientiaq; ſolicita.

44. Aeſtimatiua quæ in animante eſt, ratiocinando nihil concludit, ſed ſenſuum, iterata ſæpe operatione, & ſic imaginatione in ſeſe quodammodo, & ad memoriam reflexa, ſimilitudinem ratiocinationis quandam exhibet.

45. Non etiam nexus illos, quos in argumentationibus ratio intuetur, & veſtigat, phantaſia illa ſcrutatur, & expendit, ſed naturæ impetum ſequens, & occultas qualitates Antipatiam & Sympatiam adſumens, bonum appetit, malum verò, & ingratum naturæ fugit.

46. Natura abhorret brutum à vinculis, & carcere, niſi itaque cicuratum iugis, & adſuefactum ſit, ſi videat aliquod animal hoc, vel illo modo capi, & vinculis conſtringi, iacere, aut vita priuari vt motum illum naturæ gratum, & congenitum amans fugit illud quo captum ſui generis ſpeciem uidet, tanquam ingratum, & noxium.

47. Hæc omnia phantaſiæ perfectioris vi peraguntur, vnde opus haud videbitur diſtingui æſtimatiuam, & cogitatiuam, ab ipſa phantaſia, vt diuerſas ſpecies comminiſcamur.

48. Senſus conſeruans, qui res diutiùs retinet, eſt Memoria.

49. Memoria eſt ſenſus rerum compræhenſarum imagines conſeruans.

50. Vnde à Spouſippo appellatur animæ diſpoſitio inhærentem illi varietatem cuſtodiens, aliis theſaurus, & penu phantaſiæ, quo recordantur, & ad vſum adſeruentur, phantaſmata & rerum imagines.

51. Hæc in poſtrema cerebri parte reſidere dicitur, paululum ſicciore, ideoque ad retinendas imagines aptiori.

52. Id & ratiouem aiunt, & experientiam, probare.

53. Rationem: quia à ſenſu communi res perceptæ ferantur propagatione per ſpiritus facta ad imaginationem, & hinc ſimiliter per ſpiritus proferantur, diſcretæ, & iudicatæ ad memoriam, quæ retineat in ſeſe illa, & exhibeat cogitatiuæ in illo reflexu phantaſmata ſemper, quando ſeſe mouet, conſpicienda.

54. Quia conueniat etiam cuſtodienti facultati, vt longiùs à ſenſibus exterioribus remota, in abdito quaſi poſita, & occultata, cum ſuis theſauris ſibi commiſſis, ſit.

55. Quia rotundior quoq; poſterior cerebri ventriculus, ideoq; ad retinendum aptior cenſeatur.

56. Experientiam: quia læſo occipitio, memoriam magis lædi ſit manifeſtum, quàm ſi alia capitis pars offendatur.

57. Similiterq;, quia occipitij figura, & conſtitutio poſterioris cerebelli qualitates plerumq; arguant, memoriæ vim, & virtutem.

58. Neq; verò illa confuſio eius ſedis eſt admittenda, quæ aut per cerebrum totum, aut per corpus vniuerſum memoria funditur.

59. Per cerebrum totum ſi eſſet memoria diffuſa, ſpiritus diſtinctas actiones edentes, diſtincti non eſſent, neque ſentiri aliquid per imaginationem in ſomniis, poſſet, quod memoria ſimul comprætenderet.

60. Motus etiam quem Scaliger adducit digitorum, planè exhabitu eſt, imaginatiuæ virtuti obſequens.

61. Obiecta memoriæ ſunt omnia illa, quæ imaginatiua virtute ſunt phantaſmata facta.

62. Re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]

62. Rerum itaq; eſt iam præteritarum, licet notionum ſit præſentium conſeruatarum.

63. Admonetur etiam re præſenti eius, quod de eadem aliquando actum eſt, quodq; in præſentia agendum.

64. Vnde opus non eſt vt res loco etiam abſit, vbi eius celebrari memoria dicitur, ſi aliquid res præſens de ſe olim, & in ſe factum moneat.

65. Vnde manifeſtum, nos ibi alicuius meminiſſe poſſe, vbi is cuius meminimus, & de quo aliquid recordamur, loco abeſſe minimè neceſſariò cogatur.

66. Diuerſa vis memoriæ ex diuerſa cerebri conſtitutione orta eſt in animantibus.

67. Quæ temperato ſunt cerebro, vim memorandi maiorem habent, quæ humido nimis, perfacilem eam quidem in percipiendo, ſed labilem: Quæ verò ſicco nimis aut frigido, difficilem, tardamque, in capiendo tenaciſſimam tamen.

68. Spirituum verò ſenſitiuorum expeditior habilitas, vis, & natura potius, quàm cerebri habitudo materialis, videatur notanda.

69. In corde verò principium huius differentiæ, ſitum eſſe, non conſtanter aſtrui videtur, cum frigido exiſtente corde, memoria tamen valeat, vt in Melancholicis conſpicuum eſt.

70. Curatio cerebri etiam reſtitutio memoriæ eſt, non cordis.

71. Memoria ſic conſeruans imagines, ad phantaſiam ſic reflectit ſua idola ſeruata, vt imaginatio ſemper aliquid meditetur præteritum, ſi præſens à ſenſibus nil accipat: Si verò accipit præſentia cum præteritis confert.

72. Imaginatiua ſic meditans, & agens memoriam firmat, adeoq; amica eſt inter hos duos ſenſus conſenſio, vt expe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]

expedita imaginatiua, & expeditiorem faciat memoriam, & memoria expeditior, imaginatiuam expeditiorem.

73. Hinc eſt vt ſæpe animal vi imaginatiuæ, ea ſe agere, egiſſeq́; credat, quæ nunquam acciderunt, ſed imaginationis vi cogitata fuerunt, memoriæq́; impreſſa.

COROLARIVM.

Recordatio cum vnius ſit, animalis hominis nimirum, in genere eius doctrina recte non tradetur.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 161 [10,-266 4°]